



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De Situ Ecclesiae. Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

ritutionum, & Apostolicæ visitationis, nos eò plane impulerunt, vt ne rem illarum constitutionum decretorumq; executioni necessariam diutius prorogaremus; cum scilicet & altarium, & baptisterij, & aliarum ecclesiæ partium exædificationes, & supellectilis apparatus, illis ipsis decretis fieri præstare oporteat, pro ratione formæ his nostris instructionibus demonstratæ. Quamobrem eas in lucem edimus: in quibus complexi sumus, vt mox narrauimus, quæ prouinciæ nostræ vsui potiora ac frequentiora animaduertimus. Ad cætera verò (multa illa quidem) quæ ab architectonica artis scriptoribus sapienter, copiosè, vtiliterq; tractata, ad augustissimam eam sacrarum basilicarum, & ad ecclesiasticæ omnis ædificationis splendorem pertinent, vt peritorum architectorum consilium adhiberi oportere censemus; sic in ijs ipsis antiquam illam, ab apostolicis vsque temporibus excitatam fidelium pietatem ac religionem, quæ in ijs ædium sacrarum constructionibus, in admirandisq; sacræ supellectilis apparatu præclarè eluxit, imitandam proponimus. Porro ingens olim extitit ecclesiarum, & structura, & multitudo, vt vestigia indicant, quæ his temporibus cernuntur; ingens præterea, pretiosaq; admodum sacrorum indumentorum, & vasorum cõpia. Calices, candelabra, & reliquæ eius generis permulta vsui ecclesiastico dicata aurea atq; argentea, tum vestimenta, vel inaurata, vel auro, argento interta, omnemq; denique ecclesiasticam supellectilem, non modò Romæ, Ierosolymis, Constantinopoli; sed (quod ad nostram pietatem inflammandam plurimum roboris habere debet) Mediolani tanti fuisse accepimus, vt inde pater patronusq; noster sanctissimus Ambrosius satis habuerit, quo aliquando in summa vrgentiq; necessitate, vel captiuo redimeret, vel paupotes aleret. Libros item codicesque sacros inauratos, & purpura byssoque vestitos, & auro, argento cælatos, ac nonnullos aureis, argenteisq; literis, ijsq; vncialibus, scriptos olim fuisse, ab sancto Hieronymo memoria prodatum est. Antiqua igitur huius pietatis, religiosæq; liberalitatis, omni per-

petua imitatione dignæ, exemplis non solum externis, verum domesticis vos excitati, quæcumque nostris his instructionibus de fabrica supellectileq; ecclesiastica præfinitimas, quò plura olim, longeq; maiora eo ipso de genere præstita esse cernitis; eò libentius promptiusq; suscipite, atque, vsque adeo exequimini; vt & nos vestrum istud pietatis studium in Domino commendemus, & à Deo bonorum omnium remuneratore, vos vberissimè, & sempiternum inde præmium capiat. Valete.

INSTRVCTIONVM  
Fabricæ ecclesiasticæ.

LIBER I.

DE SITV ECCLESIAE.

Cap. I.

**E**CCLESIA cum edificanda est, primùm Episcopi iudicio, & de architecti quem is adhibuerit probarivæ consilio; locus huic ædificationi accommodatior eligi debet.

Qua in re valde spectatur, vt vbicunque illa exstruatur, loco editiori aliquantò fiat.

Si verò vbi extruenda est, loci positura plana omnino tota sit; deligatur saltem in ea situs, qui ita extet, vt exstructa ecclesia; tribus, aut ad summum quinque gradibus ad eam ascendatur.

Sin autem ne hoc quidem loci natura patiat; cum partem nullam sic extantem, pauloq; eminentiorem habeat; id subsidij comparetur structura basium ecclesiæ: quæ in altum ductæ, naturalem illam loci planitiem ita superent, vt ad ecclesiæ pavimentum illis tribus vel quinque gradibus ascendatur.

In situ præterea deligendo ea etiam cautio adhibenda est; vt, & quò maiori in veneratione ecclesia habeatur, & quoad eius fieri potest, ab omni strepitu, vnde diuinorum officiorum interturbatio existit, longius absit; illius positura loco sit, qui ab omni luto, ceno, spurcitia, ab omniq; sordium genere, à stabulis, cau-

his, caponis, officinis ferrarijs, emporijs, atq; ab omni foro venalicio procul distet, ac ne è regione quidem istiusmodi locorum propè sit.

Cautio item sit, vt situs eiusmodi quaratur, vbi ecclesia exædificari queat, insula instar; nempe ab aliarum ædium parietibus interuallo aliquot passuum, vt infra loco de platea demonstratur, diuisa ac separata, quemadmodum antiqui instituti est, ratioq; certè postulat. Id verò cum vbique, tum in pagis, locisve, vbi ædificia crebra non sunt commodius agi poterit.

De vicinitate, & coniunctione ædium ecclesiasticarum cum situ ecclesiæ.

**A**T illud tamen ab ecclesiasticæ ædificationis ratione alienum non est, vt ab aliquo latere domicilia ministrorum ecclesiæ, præsertim verò episcopalia, canonicalia, & parochialia sint; non illa quidem habitationis ædificio parietibus ecclesiæ inherrentia, sed muris per illud aræ distantia ve spatium ductis coniuncta, sacrarumque ædium situi vicina, vt concilij Carthaginensis canone cautum est.

Ministrorum autem, qui custodes, sacraræ dicuntur, habitatio, vt res ecclesiasticæ eorum fidei commissæ, ab omni sacrilegij, furti, incendijve periculo tutiores sint, ecclesiæ aut sacrariæ adiuncta, locove eiusdem sacrariæ superiori, vt in nonnullis ecclesijs est, extrui poterit.

Qua in exstructione hæc videnda sunt.

Primo vt ne huius habitationis structura ecclesiæ prospectus impediatur, aut offendantur; neve ecclesiæ fenestris luminibusve obstruatur, aut impedimentum afferatur.

Deinde vt ne eiusdem habitationis prospectus ullus, aut fenestra fiat vnde in ecclesiam introspectetur.

Præterea ianua ne sit, qua iter adit, sive per ecclesiam pateat, ad quotidianum, priuatumq; re, um domesticarum importandarum, exportandarum ve usum; sed quæ tantum ad diuina officia, & munera sua obeunda, ab illis in ecclesiam conueniatur.

De area Ecclesiæ.

**P**onenda præterea cura est, vt ne loco humido vliginosove area ecclesiæ deligatur; nec verò propè colles, aut decliua loca, quò aut torrens, aut alia aquæ vis fortè defluens, detrimentum ædificio afferre possit.

Si quando tamen in cliuo ædificari necesse est, ibi hominum opera planities fiat, quæ respondeat magnitudini futuræ ecclesiæ: à cuius tergo, latere ve, spatium itidem planum cubitorum duodecim, & amplius, pro ædificij ratione intersit ad excisam præruptamve rupem; hæcque etiam firmo pariete muniatur, effossis præterea hinc inde canalibus, per quos aqua interdum confluens aliò deruetur.

De amplitudine situs Ecclesiæ.

**S**itus præterea ecclesiæ amplitudo ita patens esse debet, vt non solum multitudinem populi locum incolentis, vbi ecclesiæ, vel parochialis, vel collegiata, vel cathedralis ædificatio futura est; sed frequentiam etiam hominum interdum ad solennitates confluentium capere queat.

Qua in re ratio illa negligenda non est, vt unicuique homini tantum spatij esse possit, quanta est ab omni parte mensura vnus cubiti & vnciarum octo; idque præter spatium, quod columna, pilæve, ac parietes capiunt.

DE ECCLESIAE FORMA.

Cap. II.

**A**TQVE hæc quidem breuiter de ecclesiæ situ: sequitur illius exædificandæ forma: quæ cum multiplex esse possit, ad eam sanè deligendam, pro situs ratione, proq; ædificationis amplitudine, architecti periti consilium Episcopus adhibere debebit.

At verò illa huius ædificij ratio iam inde ab apostolicis ferè vsque temporibus ducta, potior est, quæ crucis formam exhibet.

Gene. Carthag. 4. c. 14.